

RELATIONES
HISTORICO-CANONICÆ
DE
INSTITUTO CLERICORUM RE-
GULARIUM PAUPERUM MATRIS DEI
SCHOLARUM PIARUM
PRO ANNO SÆCULARI
COLLEGII NICOLSPURGENSIS
AD MODUM REVERENDO, AC RELIGIOSISSIMO

P. BASILIO á S. ANTONIO
per Germaniam Præposito Provinciali

A. R. P. ALEXIO á S. Andrea Rectori

R. P. IGNATIO á S. Jacobo Ex-Assistenti Generali

R. P. JOACHIMO á S. Adalberto Ex-Provinciali

R. P. CASIMIRO á S. Bartholomæo Vice-Rectori

*totique Religiosæ Familiæ Nicolspurgensi in submissa venerationis,
& gratulationis signum oblata*

á

Canonistis Nicolspurgensibus

PP. Ludovico á S. Anna, Narcisso á S. Rosa, Florido á S. Hiacynto,

Venantio á S. Huberto, Sigismundo á S. Ludovico, & An-
tonio á S. Patritio

*cum annexis Theſibus ex utroque Jure ab iisdem
propugnandis*

Præſide P. Remigio á S. Erasmo, Ejusdem Instituti
Professo, & SS. Canonum Professore actuali

In eodem Cardinalitio - Dietrichſteiniano Scholarum
Piarum Collegio an. 1731. Mense Junio Die

CUM LICENTIA SUPERIORUM.

ZNOYMÆ, typis apud Swobodianos Hærcdes



1974 8 25156



VENERABILI COLLEGIO NICOLSPURGENSI SCHOLARUM PIARUM


Gratulationem , & felicitatem Canonistæ
Nicolspurgenses.



Uanta letitia , & gratulationis signa , primis Patribus nostris edita fuerint , dum an. 1631. die 2. Junij primum Nicolspurgensem Civitatem ingressi , & 20. ejusdem mensis , primum Instituti sui diem auspicati sunt , testantur litera Eminentissimi , & Celsissimi Fundatoris Romani data , testantur quoque antiqua monumenta typis Nicolspurgensibus Seminarii Lauretani expressa. Et ista quidem rectè fiebant à propensis in Scholas Pias animis , tum ut arduo operi non minus suave , quàm forte daretur principium , tum etiam , ut singulari benevolentia poneretur angularis lapis illi Domui , de qua tot Scholarum Piarum viva adificia , non in nostra solùm , sed & in Polonia & Ungaria Provinciis erant processura. Jam sicut prima initia ortus tui , Ven. Schol. Piar. Nicolspurgensis Domus , ter felicia recolimus , ita hoc anno 1731. eadem die recurrente & terminum primi Saculi , & secundum Saculi secundi initium , festis gratulationibus , & votis celebramus. Nec intentioni nostræ officit vitium domestici testimonij , cùm pro causa Ecclesiæ favorabili , & nulli præjudiciofa , etiam Clerici Ecclesiæ sint testes idonei , maxime , si solius latitiae , & pia gratulationis testimonia deponant. Imò nisi nos , in Tuo Jubilæo anno , quodpiam gratulationis testimonium exhibeamus , vix digni domesticorum Clericorum nomine censëmur. Hoc enim meretur , imprimis magnus ille , & assiduus favor , quo Te , Mater nostra Calasantiانا Nicolspurgi Domus , Clementissimi Fundatores tam-

res tanto tempore profecuti, & futuris posthac Saculis profecuturi sunt; meretur Primatus tuus, jure quasitus optimo, quod non solum alijs praemines Dominibus, sed tanquam Mater, & Magistra, omnibus à Te descendentibus Calasantiana vita, & disciplina Religiosae primordia inspiras. Merentur cura, & sollicitudo quotidiana, quae tot annorum cursu, praesertim Juniores Religiosos nostros Philosophicis, Theologicis, & SS. Canonum scientijs excolere, excultasque alias domos replere non desisti. Merentur denique assidui labores, maxime in Scholarum Piarum exercitijs exantlati, quibus ad commune Reipublicae Christianae bonum, eo hactenus insudasti ferventiùs, quod plures nata es Alumnos, pietate, & literis in tuo Gymnasio informandos. Nec immoramur pluribus: haec enim abunde sufficiunt, ut nostrum ostendant debitum Tibi, tuaque felicitati gratulandi. Nè verò tenue hoc gratulationis testimonium, aut ignotum clauso in pectore maneant, aut prorsus à memoria pereat, in hasce pagellas, seu rei gesta manumenta, illud redeimus, Tuoque primi Saeculi anno Jubileo, una cum Disputationibus Civilibus, & Canonicis consecravimus. Et quamvis praesentia foliola viliora sint, quàm ut Solennitati Tuae inscribi mereantur, materia tamen de Instituto Scholarum Piarum non potest Tibi non esse pretiosa, cum omne Tuum pretium ex illius pretio descendat. Est quoque materia ista propria fori nostri Canonici, scitu valde necessaria, ut omnino censuerimus nec ab hac recedendum, nec aliquid à Poëtica, & Oratoria mendicandum. His facultatibus subtiliora artificia relicta facimus, & quod animum Juribus assuetum recreare potest, in seqq. Historico-Canonicis Relationibus exaramus. Tu igitur Mater nostra Nicolspurgena Domus, exile hoc munus, affectu filiali instructum suscipe, & feliciter terminato primo Saeculo in plurima futura saecula, ad DEI Omnipotentis gloriam, & Reipublica Christiana incrementum felix perenna. Ita voves

Collegium Canonisticum Nicolspurgense Scholarum Piarum.



RELATIO I.

De Fundatore Scholarum Piarum.

INter nobilissimas, & antiquissimas Regni Arragoniæ Familias non ultima fuit *FORTUNIONUM*, è quorum numero circa annum D. 1116. floruit ab armis, & virtute celeberrimus Ximenes Fortunion, adeò Alphonso Regi in pretio habitus, ut, præter plurima Regiæ munificentiae præmia, etiam de Feudo Regali Castri Calasanz (cui nomen indidisse fertur Strenuissimus Dux Sanzon ab ipsis insignibus Castri Cane, & ala cœlesti, scil. ex prima Syllaba *Canis*, & ex altera Syllaba *a la*, & suo proprio nomine *Sanz*) solemniter ab Eo investitus sit. Huic Ximeni natus Filius nomen Patris sortitus, & Ximenes Fortunion, addito cognomine, *de Calasanz* appellatus est, & in hoc nomen Fortunionum expiravit, cùm Filius suus Arnaus, & Nepotes Guilielmus, ac Beltrandus (cui Rex Jacobus dictus Conquistor, in signum præstitæ fidelitatis contra Comitem Urgelensem, canem album cum aurei coloris bursa in ore, ad insignia gentilitia adjecit) solo Calasantium cognomine contentarentur. Post longam generationum seriem, ex hac generosissima Stirpe prodijt D. Petrus Calasantius, dein Matrimonio copulatus D. Mariæ de nobilissima Familia Gastoniorum, quibus in celebri olim oppido, hodie per bella Gallica devastato, Peraltae de la sal (quasi in Petra alta salis) nati sunt duo Filij Petrus, & Josephus, & quatuor Filiae Maria, Joanna, Magdalena, & Isabella. Ex his quartus ordine anno Domini 1556. sedente Paulo IV. regnante Ferdinando I. Imp. & Philippo II. Rege Hispan. die 11. Septembris natus est dictus Josephus Calasantius, eodem scil. anno, quo mortuus fuit magnus Patriarcha Societatis JESU S. Ignatius de Loyola, ita ordinantè Divina Providentia, ut uno Fundatore Hispano occidente, alter Hispanus Fundator oriretur, & sicut per Illum gloria JESU, ita per Istum gloria Matris JESU, majora sumeret incrementa.

Sensim

Sensim uti ætate, ità & insigni pietate, & doctrina crevit Josephus, & quamvis à Patre ad Palladem sagatam invitaretur, sui tamen Avi Joannis Calasantij Viri inter literatos Aragoniæ celeberrimi vestigia secutus, obtenta Philosophiæ laureâ, Juris utriusque Doctor, & juxta morem Academiae Ilerdensis, Princeps totius Universitatis electus, & creatus est, ut in Processu ipsius ex Matthæo Garzia, qui Josephum Angelum suum Tutelarem vocitabat, deponit Michaël Zimenes. Tum Valentia, & Alcalæ absoluto Divinarum Literarum Cursu ad Solemnem Doctorum SS. Theologiæ gradum evectus, & magnis precibus expetitus in Familiam venit à scientia, & virtute notissimi Viri Reverendissimi D. Gasparis Joannis de Figuera Episcopi Jaccensis, sub cujus disciplina plurimi gravissimi Theologi, Bannez, Medina, & alij evaserunt. Tanti Viri consortio, mirum, quantum in scientijs, & Virtutibus profecerit Josephus: nam mitigato Patris sui animo, qui ex Josepho ultimo superstitie Filio propagationem sui Stemmatis desideravit, ad perseverandum in Militia Clericali, cui an. 1575. 17. April. suscepta prima Tonsurâ nomen dedit, Sacramentò voti facti se obstrinxit, atque ità an. 1582. Minoribus Ordinibus insignitus, impetrata Interstitiorum Dispensatione in Subdiaconum, Diaconum, & tandem Presbyterum consuetis Ordinationum Temporibus ordinatus est intra unum annum 1583. suscepto ultimo Ordine mense Decembri in Sabbato 4. temporum. Nec mora, propter insignem virtutem & scientiam à RR. D. Andrea Capiglia Episcopo Ilerdensi in Confessarium, Theologum, & Examinatorem Synodalem, deinde in Vicarium Generalem Ecclesiæ Urgellensis assumptus mirum in modum Disciplinam Ecclesiasticam promovit, in procuranda disfidantium concordia efficacissimus. Sed cum Josephus secreto Altissimi consiliò ad alia destinaretur, voce Divina admonitus venit Romam, ibique à Marco Antonio Columnio S. R. E. Cardinali in Theologum, & totius Aulæ Cardinalitiæ Directorem electus, non ei solum, sed plurimis Prælati Ecclesiasticis, & Dominis Sæcularibus in acceptis fuit. His tamen, cæterisque favoribus, & dignitatibus, prævaluit in Josepho ardens ille, à Spiritu S. excitatus amor, quò ferebatur ad greges puerorum, sinè Duce, sinè Magistro discurrentium colligendos, & in literis, ac vita Christiana erudiendos. Hinc totum se pio huic operi dedere, & officium instruendæ juventutis, præsertim pauperis in se suscipere constituit, & reipsa, quod desideravit, DEO auxiliante, in effectu consecutus est, ut ex seqq. patebit. Hæc Summarie excerpta, fusiùs describuntur in Vita V. Josephi Italicè edita, & Augustissimæ Imperatrici Amaliæ dicata an. 1712.

RELATIO II.

De Origine Scholarum Piarum.

ANno Domini 1597. Clementis VIII. sexto, Rudolphi II. Imp. vigesimo primo, Joseph ætatis suæ anno quadragésimo, obtentâ licentiâ Scholas aperit, locum, & operam conferente D. Antonio Brendano Parocho ad S. Dorotheam trans Tyberim prope portam Septinianam. Quia verò crescente Discipulorum numero locus angustus erat, Scholæ primùm translatae sunt ad Domum ampliorem ex altera parte S. Andreae della Valle, ut vocant, ubi nunc est Collegium RR. PP. Theatinorum, tum pro commodiùs exercendo Instituto, decem millibus Scutorum (quatuor millibus remissis) à D. Victoria Cincia comparata est Domus vicina Ecclesiæ S. Pantaleonis, ubi hodie est residentia Præpositi Generalis Schol. Piarum, DEO mirabiliter expensas, & eleemosynas pro tam pio opere suppeditante, magnique nominis Viros ad promovendum opus inceptum submitte. Dum ita Scholæ cursum suum tenerent, de mandato Sedis Apostolicæ constituti Visitatores Cæsar Baronius, Sylvius, Alemannes, Montaltus S. R. E. Cardinales, & cum his alij insignes Viri (inter quos de Scholis Pijis meritissimus, RR. P. Joannes à JESU Maria Carmelit. exalceatorum Generalis, uti etiam V. Dominicus à JESU Mar. ejusdem Relig.) magna circumspectione, & diligentia sæpius Scholas istas visitantes, pium hoc opus, & Christianæ Reipublicæ proficuum summè commendârunt Clementi VIII. & dein Paulo V. aded ut dignum visum fuerit, Institutum hoc, secundum communem Famam, *Piarum Scholarum* nomine insignire, & ejus Professores Clericos Sæculares in unam Congregationem adunatos sub protectionem Sedis Apostolicæ recipere, dato eis Protectore Ludovico de Torres S. R. E. Card. Presbytero tit. S. Pancratij, in cujus demortui locum successit Cardinalis Benedictus Justinianus, uterque Scholarum Piarum Promotor, & Benefactor singularis.

Sub hoc Statu Clericorum Sæcularium stetit Congregatio Scholarum Piarum 17. annis, scil. ab inchoato anno 1597. usque ad 1613. inclusivè.

RE-

RELATIO III.

De Progressu Scholarum Piarum.

ANno Domini 1614. Pauli V. nono, Mathiæ Imperatoris tertio, Joseph Calasantius, considerata rerum mutabilitate, ut Institutum Scholarum Piarum firmum confisteret, habito prævio Tractatu, & mediante Protectore Card. Justiniano Episcopo Prænestino, supplicavit Paulo V. ut Scholæ Piæ unirentur Congregationi Clericorum Lucensium S. Mariæ in Porticu, & Sua Sanctitas benignè precibus annuit, expedita desuper Const. 81. in forma Brevis incip. *Inter Pastoralis Officij curas, die 14. Jan. dicto anno, ubi etiam Josepho perpetui Scholarum Præfecti officium committit. §. 3. ibi: ipsi tamen Præfectus vita sua durante in huiusmodi officio Præfecti dictarum Scholarum, & alij, qui in domo earundem Scholarum ad præsens reperiuntur, etiam vita eorum durante, possint, & debeant secundum suas proprias Constitutiones ibi permanere.* Hæc unio tantopere optata non erat perpetua, sed solum triennalis, cum Clerici Lucenses, alijs laboribus intenti, grave onus docendi Scholas detrectarent. Hoc remedio deficiente, DEUS, cujus opus agebatur, de longè meliori Scholis Pijs providit. Nam, ut loquitur Constitutio mox citanda, nè tam pium, maximè laudabile, ac præsertim pauperum liberorum Christianæ educationi, & eruditioni proficuum opus aliquod propterea detrimentum pateretur, sed indies magis ad gloriam DEI promoveretur, SS. Pater Paulus V. motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione priorem Constitutionem, de unione Scholarum Piarum cum Congregatione Lucensi, revocavit, cassavit, & annullavit, & Scholas Pias in Specialem erexit Congregationem, à se nuncupatam Paulinam Pauperum Matris DEI Scholarum Piarum cum tribus votis simplicibus, paupertatis, Castitatis, & obedientiæ, super quibus à nemine, præterquam à Rom. Pontifice pro tempore existente dispensari possit, cujus erectæ Congregationis supremam Præfecturam, curam, regimen, & administrationem ad suum beneplacitum commisit Josepho Calasantio. Ità fusiùs ista describuntur in Constit. 101. dicti Pontificis incipiente: *Ad ea, per quæ. an. 1617. die 6. Martij, Pontificatus an. 12. qui fuit Mathiæ Imp. sextus.* Hoc modo instituta Congregatio sub votis simplicibus duravit ferè quinquennium, & interim varijs in locis propagata est ut Tusculi, Moricone, Narniæ, Carcaris, Nursiæ. Nec defuit ipsi DEI Omnipotentis auxilium,

xilium , cùm multi nobilitate , literis , & virtute spectati Viri , hoc humillimum , juxtaque pauperimum Institutum amplexi fuerint , uti Vivianus Viviani ICtorum suo tempore celeberrimus , Paulus Ottonellus ex Illustrissima Comitum Ottonelliorum Familia , qui mortua Coniuge Comitissa Montecuculiana Viduus factus , secundùm Oraculum S. Philippi Neri Scholis Pij aggregatus Paulus ab Assumptione B. V. dictus est. Glycerius Landrianus Abbas Placentinus S. Caroli Borromæi Nepos se , & sua omnia Scholis Pij dedit. Franciscus à Purificatione ex Familia Castelliorum de Cortona Pauli V. Pionepos , Sponsalibus & Sponsa relictis , pluresque alij ad Scholas Pias convolârunt.

RELATIO IV.

De Congregatione Scholarum Piarum in titulum Religionis erecta.

ANno Domini 1621. Gregorij XV. primo , Ferdinandi II. Imper. tertio , idem Pontifex Constitutiones Scholarum Piarum priùs à se sæpius revolutas , à S. Congregatione Episc. & Regg. & compluribus Theologis Regularibus revisas approbat expedito Brevi incip. *Sacri Apostolatus*. Et postquam Sacra Congregatio præacta , de mandato suæ Sanctitatis , re maturè examinata Congregationem Scholarum Piarum à Clemente VIII. erectam , à Paulo V. confirmatam in Religionem trium votorum Solemnium approbari posse censuisset , editò desuper Decretò 31. *Augusti* ejusdem anni , dictus Pontifex Gregorius XV. Decretum illud autoritate Apostolica plenissimè confirmavit , & Congregationem in Religionem Clericorum Regularium Pauperum Matris DEI Scholarum Piarum cum tribus solennibus votis crexit supplendo omnes , & singulos tam Juris , quàm facti defectus , si qui desuper quomodolibet intervenerint. Ità hæc omnia habentur in Const. 14. Gregorij XV. incip. *In Supremo Apostolatus folio*. eod. an. 1621. die 18. *Novembris* , Pontificatus anno primo. Idem Sanctissimus mox altero anno 1622. communicavit Scholis Pij omnia privilegia Ordinum Mendicantium , ut infra dicitur. Neque his obstat Constitutio Innocentij X. incip. *Ea , quæ pro felici*. nam huic Constitutioni Innocentianæ omne robur ademptum est per subsequentem Constitutionem Alexandri VII. incip. *Dudum felicitis*. 1656. die 25. *Januarij* , & plenissimè per Constitutionem Clementis IX. incip.

cip. *Ex injuncto nobis*. 1669. die 23. Octobris, ubi utraque Constitutio Gregorij XV. redintegratur, & servari jubetur cum omnibus gratijs & indultis Apostolicis. Et in hoc statu hodieum perseverat Religio nostra paucis accidentalibus immutatis. Et quidem ex Const. Alexandri VII. incip. *Cum sicut*. 1660. die 18. April. Præpositus Generalis, & quatuor ejus Assistentes in Capitulo Generali eligendi ad sexennium duntaxat durare debent. Item Paupertas nostra per Innocentium XI. 1686. 13. Martij reducta est ad formam Conc. Trid. Sess. 25. c. 3. de Regul. & Alexander VIII. 1690. die 21. Febr. motu proprio usum calceamentorum, cæteris Clericis Regularibus communem, Scholis Pijis demandavit.

RELATIO V.

De Privilegijs Religionis Scholarum Piarum.

1. **G**regorius XV. Constit. incip. *Ad uberes fructus*. 1622. die 15. Octobris concessit Scholis Pijis omnia Privilegia Ordinum Mendicantium, etiam illa quæ habent per viam extensionis, communicationis, & quidem cum illa clausula §. 1. ibi : *pari modo, non solum ad eorum instar, sed pariformiter, & aequè principaliter, perinde acsi illis nominatim, & in specie concessa fuissent, uti, frui, & gaudere libere, & licite valeant* &c. Hanc concessionem proportionaliter suæ dispositioni renovavit Alexander VII. in cit. Const. *Cum sicut*. §. 3. ibi : *cum omnibus gratijs &c.* & plenissimè Clemens IX. in cit. Const. *Ex injuncto nobis*. §. Nos prospero. ibi : *ac ad fructionem omnium, & singulorum privilegiorum* &c. Hic utiliter legi potest Constitutio Alexandri VIII. incip. *Inscrutabili*. 1690. 28. Julij Ordini B. V. M. de Mercede Red. Capt. concessa habens clausulas individuales, & insolitas communicationis Privilegiorum, etiam S. J. item novissima Constitutio Benedicti XIII. incip. *Pretiosus*. 1727. Cal. Jun. Ordini Prædicatorum concessa, ubi renovatur illud Privilegium, de quo dubitabatur, quòd eis liceat benedicere vestimenta, & Paramenta Ecclesiastica, in quibus non intervenit nuntio, ut concesserunt plures Rom. Pontifices relati in §. 83. incip. *Insuper sit*. Constit.

2. Urbanus VIII. Constit. incip. *Debitum Pastoralis Officij*. 1629. Cal. Jun. concessit Scholis Pijis privilegium exemptionis à processionibus, & alijs

actibus publicis, cum clausula irritante, & derogante §. 4. ibi: *non obstantibus quibuscumque Apost. ac Synodalibus, Provincialibusque editis, & edendis Constitutionibus &c.* Quod privilegium renovavit Alexander VII. *cit. Const. Dudum felicis.* & plenissimè concessit Clemens IX. in *cit. Const. Ex injuncto nobis.*

3. Idem Urbanus VIII. *Const. incip. Ad Ubere fructus.* 1630. 7. Aug. statuit, nè alij quicumque quavis autoritate fungentes Scholas sub denominatione Scholarum Piarum erigere, aut forsitan jam erectas pias nominare audeant. Hæc enim denominatio Scholis nostris jam à Clemente VIII. & cæteris Successoribus, tanquam propria specialiter attributa est.
4. Idem Urbanus VIII. *Constit. incip. Romanum decet.* 1634. 17. Novembr. declaravit Religionem Scholarum Piarum non comprehendi sub Decretis Clem. VIII. de Novitijs non nisi in certis Monasterijs, & locis à Sede Apostolica designatis recipiendis. Circa Novitios, & Profef-
sos studentes ad instantiam Religionis nostræ emanavit Decretum Clementis X. *incip. Ad propagandam.* 1676. die 13. Martij.
5. Innocentius XI. *Constit. incip. Nuper pro parte.* 1684. 13. Martij confirmat Decretum S. Congregationis negotijs Ep. & Regg. præpositæ, declarando Religionem Schol. Piarum gaudere exemptione à jurisdictione Ordinariorum locorum, ac omnibus privilegijs Regularibus Mendicantibus concessis.
6. Innocentius XII. *Const. incip. Ad ea, per quæ.* 1696. die 15. Febr. concedit nobis, omnibusque utriusque sexûs alicui Sodalitati, aut Congregationi in Ecclesia Scholarum Piarum erectæ, vel impofterum erigendæ adscriptis, qui per quadrantem horæ orationi mentali vacaverint, pro qualibet vice centum dies, qui per duos quadrantes continuos septem annos indulgentiarum, ijs verò, qui devotioni hujusmodi per duos quadrantes continuatos, vel saltèm per quadrantem horæ singulis diebus dabunt operam, interea verò pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam semel quolibet mense omnium peccatorum suorum remissionem, quam per modum Suffragij animabus in Purgatorio existentibus applicare possint, concedit.

RELATIO VI.

De Fundatione Domûs Nicolspurgensis.

Comperiens Celsissimus, & Eminentissimus Princeps FRANCISCUS à DIETRICHSTEIN S. R. E. Card. & Supremus Moraviæ Capitaneus &c. quàm uberes fructus, ut suprà memorati Pontifices in suis Constit. testantur, in Rempubicam Christianam ex Instituto Scholarum Piarum deriventur, eousque apud V. Patrem Nostrum Fundatorem institit quoad suorum Religioforum Colonias impetraret in has transalpinas Regionem, & primùm quidem in Civitatem suam Residentialem Nicolspurgum, quò Religiosi Scholarum Piarum anno D. 1631. die 2. Junij salvi, & incolumes appulerunt numerò 8. scil. P. Peregrinus à S. Francisco, P. Ambrosius à S. Maria, P. Antonius à SS. Sacramento, F. Josephus à S. Nicol. Tolent. F. Ambrosius à Conceptione, F. Joannes à S. Maria, F. Alexander à S. Ludovico, F. Franciscus à B. Virgine, quos successu temporis alij subsecuti sunt. Incredibile autem est, quantà animorum lætitiâ Patres isti Itali excepti fuerint, & alijs præteritis memoriâ dignissimus est ille favor, quo Scholas Pias complexus, & ubique pro Earum dilatactione sollicitus fuit Eminentissimus ac Celsissimus Princeps, primus in Germanica Provincia Fundator Clementissimus, & verè Pater Clericorum Pauperum Matris DEI Scholarum Piarum. Neque benevolentia ista remisit, sed auxit potiùs in Successoribus Celsissimis Principibus Dietrichsteinianis Maximiliano, Ferdinando, Leopoldo, & hodie felicissimè in eodem Principatu Nicolspurgensi dominante Celsissimo S. R. I. Principe Gualtero, pro Cujus longæva sospitate, omnia speculantem Divinæ Providentiæ oculum, precibus assiduis exoramus. Cùm verò tantorum beneficiorum, & gratiarum cumulum præfens pagella non capiat, meritò his supersedemus, non ignorantes melius esse ipsa facta & opera de tantis Fundatoribus loqui, quàm Verba. Unicum duntaxat, verbis breve, sed sensu amplissimum pro hoc centesimo comòrationes Nicolspurgensis anno acroama proferimus, quò *Gloriam DEO Protectori, Honorem SS. Virgini, & Præcursori Domini, gratiam & felicitatem Celsissimis Fundatoribus, Vobis verò Schola Pia Nicolspurgenses perennæ in plura sæcula increpmentum acclamamus.*

CORONIS CHRONOLOGICA

Præpositorum, & Capitulorum Generalium P. S.

P^{rimus} Præpositus Generalis, & Fundator Scholarum Piarum suis Vener. Servus DEI Josephus à Matre DEI, in Sæculo dictus Calantius, cui Supremam Præfecturam Congregationis suæ contulit Paulus V. Const. incip. *Ad ea, per quæ*. primum Generalatum Gregorius XV. Const. incip. *Apostolici muneris*. & eundem Generalatum pro tota vita Josepho confirmavit motu proprio Urbanus VIII. Constit. incip. *Inscrutabili*. 1632. die 12. Januar. Vixit Josephus annis 92. Sacerdotiò functus annis 65. Scholas Pias rexit annis 51. & plenus meritis obdormivit in Domino Romæ in Domo S. Pantaleonis an. 1648. die 25. Augusti. De cujus Beatificatione, & Canonizatione ultima Sedis Apostolicæ sententia expectatur. Sub Eo celebrata sunt tria Capitula Generalia; *Primum* an. 1627. *Secundum* an. 1637. *Tertium* an. 1641.

Secundus Præpositus Generalis erat Joannes Garzia à JESU Mar. constitutus per Breve Alexandri VII. incip. *Ex Romani Pontificis*. 1656. die 4. April.

Tertius Camillus à S. Hier. electus in quarto Cap. Gener. 1659.

Quartus Cosmus à JESU Mar. electus in quinto Cap. Gener. 1665.

Quintus Joseph à JESU Mar. per Breve Apost. Clem. X. creatus, sub quo celebratum fuit Sextum Cap. Gener. 1671.

Sextus Carolus Joannes à JESU M. electus in septimo Cap. Gener. 1677. & idem in Generalatu per novam electionem confirmatus in octavo Cap. Generali 1683.

Septimus Alexius à Concept. electus in nono Cap. Gener. 1686.

Octavus Joannis Franciscus à S. Petro electus in decimo Cap. Generali 1692. & in Generalatu per novam electionem confirmatus in undecimo Cap. Generali 1698.

Nonus Petrus Franciscus à Concept. electus in duodecimo Capitulo Generali 1700.

Decimus Joannes Chrysostomus à S. Paulo per Breve Clementis XI. creatus, quia ob bella Capitulum non potuit celebrari 1706.

Undecimus Andreas à S. Sebast. electus in decimo tertio Cap. Gen. 1712.
Duodecimus Gregorius à S. Theresia electus in decimo quarto Capitulo
Generali 1718.

Decimustertius Adolphus à S. Georgio Moravus Cremfirciensis primus ex
Provincia Germaniæ electus Generalis in decimo quinto Cap. Ge-
nerali an. 1724.

Decimusquartus Josephus à S. Francisco electus in decimo sexto Capitulo
Generali 1730.

Præpositi Provinciales Germaniæ.

Peregrinus à S. Francisco.
Onuphrius à SS. Sacramento.
Alexander à S. Bernardo.
Joannes Dominicus à S. Cruce.
Carolus à S. Maria.
Ambrosius à S. Ludmilla.
Ludovicus à S. Luca.
Alexius à S. Onuphrio.
Josephus à S. Catharina bis.

Placidus à S. Bernardo bis.
Clemens à S. Phil. Nerio.
Bernardus à S. Philippo Nerio.
Ignatius à S. Jacobo ter.
Innocentius à S. Clemente.
Joachimus à S. Adalberto.
Gabriel à S. Mar. Lauretana.
Alexius à S. Andrea.
Basilus à S. Antonio.

His summarie excerptis adduntur Theses
ex utroque Jure.



THE-

THESES EX JURE CIVILI

Ad Librum I. Instit. & II. usque ad tit. 10.

I. Jurisprudentia est vera scientia, cujus objectum formale est justitia, actualis ut regulata per leges. 2. Jus naturale non cadit in bruta, neque est dispensabile. 3. Jus Gentium non dividitur in primævum, & secundævum, neque est portio Juris Naturalis, sed totum positivum humanum. 4. Libertas Matris prodest partui, licet Pater sit Servus. 5. Existenti in utero relinqui potest libertas tam directa, quam fideicommissaria. 6. Doctoratus non solvit patriam potestatem. 7. Tutore Testamentario per mortem, vel perpetuam inhabilitatem deficiente locus est tutelæ legitimæ, non dativæ. 8. Tutela Testamentaria Electoris præfertur legitimæ. 9. Dare Tutorem Attilianum attento Jure Romano non competit Jure Magistratûs. 10. Contractus pupillo præjudiciosus, sine auctore Tutore initus nec naturaliter tenet. 11. Tutor ob culpam latam remotus non fit infamis. 12. Fera libera occupata etiam in fundo alieno est capientis, 13. at fera vulnerata non est vulnerantis. 14. Fundus limitatus non gaudet jure alluvionis. 15. Nova species irrefolubilis in priorem materiam est specificantis. 16. Bona fide jungens rigum alienum tenetur dupli. 17. Falsitas causæ, seu tituli de se habilis ad translationem Dominij non impedit traditionis effectum. 18. Tradentis, & accipientis consensus non necessario conveniunt in eandem causam. 19. idem dominium duorum in solidum repugnat. 20. Pecunia numerata, etsi ex venditione rei immobilis comparata sit, accensetur mobilibus. 21. Servitute simpliciter constituta, determinatio viæ pertinet ad Cessionarium. 22. Servitus sub conditione, vel ad tempus non constituitur. 23. Jus usufructûs alienari non potest ad extraneum. 24. Mortuo Fructuario ante fructus maturos collectos, nec actio realis, nec personalis ad heredem illius transit. 25. Cautio non est de Substantia quasi-usufructûs. 26. Usus ut est jus utendi fungibilibus non separatur à dominio, bene verò usus facti. 27. Juri luendi pignoris non præscribitur. 28. Fieri potest donatio omnium bonorum etiam futurorum. 29. Clausula de non revocanda donatione facta præfenti facit donationem inter vivos. 30. Conditio, quam Mater apponit bonis filio relictis, nè Pater usumfructum habeat, non afficit legitimam.

THESES EX JURE CANONICO

Ad Libr. I. Decretalium.

1. **A**ctus purè internus non est materia legis humanæ. 2. Promulgatio publica est de Substantia legis, non tamen acceptatio populi. 3. Lex, etiam Civilis prohibens non hoc ipso est irritans. 4. Dabilis est lex purè pœnalis. 5. Legislator indirectè tenetur suis legibus. 6. Rescripta etiam justitiæ subreptitiè impetrata sunt ipso Jure nulla. 7. Consuetudo abrogare potest legem Civilem, & Canonicam. 8. Postulatio concurrens cum electione non ei prævalet, nisi duas partes ex tribus habeat. 9. Irritatio electionis ob defectum Juris humani locum habet in foro interno. 10. Renunciatio metu extorta mero Jure valet. 11. Negligentia Episcopi in administranda subditis justitia non suppletur per Archi-Episcopum, nisi in casibus-expressis. 12. Prima Tonfura non est ordo. 13. Dispensare in ætate ad Beneficia non potest Episcopus. 14. Bigamus est etiam ille, qui duas Uxores ante baptismum habuit, & cons. irregularis. 15. Jurisdictio Vicarij Generalis est ordinaria. 16. Delegatus Inferioris non potest subdelegare. 17. Episcopus delegare potest causas, quæ in foro Canonico dicuntur meri Imperij. 18. Ordinarius regulariter tenetur exequi sententiam Delegati Apostolici, licet sciat esse injustam. 19. Facta citatione perpetuatur jurisdictio Delegati. 20. Nuncius Apostolicus vi clausulæ *cum potestate Legati à latere* non potest omnia, quæ Legatus à latere. 21. Potestas Episcopi in Regulares exemptos non est ordinaria, sed delegata. 22. Pacta nuda nec de Jure Can. pariunt actionem Civilem. 23. Procurator ad lites de utroque Jure debet esse major 25. annis. 24. Actus metu gesti regulariter Jure subsistunt. 25. Ecclesia læsa tantum in quantitate pretij agere potest vel ad supplementum pretij, vel ad rescissionem contractus. 26. Si ob negligentiam Procuratoris omissæ sunt probationes, Ecclesia læsa justè petit Restitutionem in integrum, 27. etiam contra sententiam à Papa latam. 28. Exempti super privilegio suæ exemptionis compromittere nequeunt in Arbitrum. 29. in Judicem Ordinarium ut Arbitrum compromitti potest. 30. à laudo homologato non datur reductio ad arbitrium boni Viri.

A. M. D. G.
&
M. P. I.

1870

1871

1872

1873

1874

1875

1876